



**Wilhelmi Schickardi Succincta methodus mappas  
geographicas explosis consuetis hactenus erroribus  
construendi : monstrans etiam compendia quaedam antea  
non visa, elevationem Poli facillime, satis tamen accurate  
inveniendi.**

<https://hdl.handle.net/1874/353297>

gl  
WILHELMI SCHICKARDI  
LINGUARUM ORIENTALIUM ET MATHE-  
SEOS QUONDAM IN ACADEMIA TUBIN-  
GENSI PROFESSORIS CELEBER-

RIMI

SUCCINCTA METHODUS  
**MAPPAS GEO-  
GRAPHICAS**  
EXPLOSIONIS CONSuetis HACTE-  
NUS ERRORIBUS CONSTRUENDI,

*Monstrans etiam Compendia quaedam antea non visa, elevationem  
Poli facilissime, satis tamen accurate inveniendi.*

Emendationis primus est gradus  
errorem detexisse.



TUBINGÆ,  
Impensis JOHANN-GEORGII COTTÆ.  
Typis JOACHIMI HEINII.  
ANNO M. DC. LXXIV.





## P R A E F A T I O

A D

LECTOREM BENEVOLUM!

**Q**uàm utilis & pernecessaria sit Geographiæ Scientia, non solùm iter facientibus, sed & privatos inter parientes agentibus & Lectione Historiarum rebusque in Universo variè gestis oblectantibus? Testimonium afferet ipsissima Experientia, dum illi in tenebris quasi vagabundi Labyrintheis erroribus corpusq; animumque secum amittunt, atque ita dubium eos teneat, quâ viâ insistant? Et eapropter Geographia lucem hâc in parte præferens, nec non verum in tramitem reducens aliquô modô Astronomiæ Palmam eripit; utpote quæ sola cælestes campos mensuris numerisque subjiceret docet, qui tamen nunquam sunt in possessionibus nostris, quò etiam neque pedem movemus, neque profanæ actiones unquam ibidem expeditæ fuére. Hinc ille Philosophus

):

aje-

PRÆFATI.

ajebat; *Quæ supra nos, nihil ad nos;* Terram enim Ter Opt. Maximus hominibus inhabitandam concessit; Et exinde non minoris erit operæ, singulas istius, tam naturales situationes, ut montes, valles, flumina &c. quām ædificia mortalium inhabitationes scrutari, & quoad usum humanum plus utilitatis nobis ex Geographia, ejusq; accuratis dimensionibus accedit. Quoniam verò totum Fundamentum hujus Scientiæ in perfectis & ad artem Matheseos delineatis Geographicis Mappis consistit, quæ solummodo nos atque unicè per terrarum orbem in quo migrare solem⁹ manu ducit, vel ubi in Lari bus nostris rerum facta evolvim⁹, explicabilem animis nostris viam omnium historicarum descriptionum commonstrat, si quando certæ correctæque fuerint: econtra enim multarum perplexionum seductionumque ansam præbent: Facilè ergo quisque colligere poterit, quantum in perfecta constructione mapparum referat, & in qua intricatione incertitudineque & Geographia pariter & Geometria hactenus magno cum dispendio incolarum hæserint,

PRÆFATI O.


rint, dum neque mappæ correctionem sapuerunt, neque Mercurius aliquis salebras intendere dehortatus est. Quod etiam DN. WILHELMUS SCHICKARD hujuscē laudatissimæ Universitatis antehac Matheseos & Linguarum Orientalium Professor famigeratissimus olim ponderabat, nec non varia, certa, intellectui tamen haud difficultia, sed leviter effectum trahentia secum reputabat compendia Mathematica, toti huic operi novam opem lucemque largiendi gratiā; In hunc finem etiam in hoc præsenti Tractatulo bellos quosdam modos ex Fundamento mappas construere, singulari dexteritate monstravit, & huc usque multimodè commissos errores in dirigendis & construendis ejusmodi mappis optimè facillimeque emendavit, adeò, ut in posterum nullus notabilium errorum inserpat illis, qui epitome hâc frui voluerint. Verum enim verò postquam Author peculiaris cujusdam Arcani longitudines locorum investigandi, paucissimis verbis mentionem facit, & in forma ænea illud penitus nodosè atque Hieroglyphicè proponit,

):( z                      abs-


P R A E F A T I O.


absque additamento ullius explicationis; Itaque huic Tractatulo clarissima explicatio hujus præstantissimi arcani in peculiari opusculo typis edita est, ne quid benevolo hujusq; Artis studio Lectori vel deesse vel deficere possit. Ut tali modo ubique omnium locorum situationes secundum longitudinem & latitudinem ad præscriptas Regulas quilibet rectissime investigare, easque dispositis mappis adjungere queat. Si etiam hic vel iste Matheleos fuerit imperitus, modi tamen hi ad Praxin referendi, tam sunt faciles, ut quoque primam observationem solus efficere, postea verò Mathematicum eâ de re consulere queat; Quem haud fugiet alligatam colô stupam pernere Artis adjumento: Quò tandem & præclara Geographia perfectionem suam assequi possit.

Quan-



CHOROGRAPHIAE ADMINICULA NOVA  
Inventore Wilh: Schickardo.





ANON. ASTRONOMER. F. 175. 175. 175.  
Astronomer. 175. 175. 175.



Uantum utilitatis pariter & jucunditatis ex mappis Geographorum artificiosis redundet, omnes etiam ij, qui qualemcunque earum usum ad praxin deducere norunt, intelligunt. Non modo enim omnes terrâ marique iter facientes, ut mercatores, milites, peregrinatores & tabellarij earum ductu viarum tricas discernunt; verùm ij etiam, quibus patrios deferere lares religio est, senes sint, sive juvenes, si frequenter ejusmodi tabulas perlustrant, figuram situmque dissitarum regionum adeò memoriae imprimunt, ut, si vel veteres multorum abhinc seculorum historias, vel etiam quotidiè aliunde missas novellas legant, facillimè se expediant negotio, non secus, ac si ubivis nati & educati, vel longinquis itinerum ambagibus omnia ipsi emensi essent.

Has ob causas artem hanc nunquam satis laudatam nullo non tempore præclara privatorum ingenia aggressa sunt, & excoluerunt; Verùm, quod magis est, Monarchæ etiam potentissimi orbisque domitores invictissimi, curarum, quas pro republ. gerunt, partem non minimam putarunt, operam dare, ut sua, quæ haberent territoria, eâ, qua par est, diligentiâ, mensurata in charta designarentur. Id quod variis variorum Principum Romanorum exemplis, v. c. C. Julij, Augusti, Antonini, Carolorum Magni & Quinti, Alberti Ducis Bavariæ, Johannis Comitis Palatini ad Rhenum, qui & ipse manum admovit, Exterorum etiam Regum, ut Caliphæ

Almamonis Babylonensis, Ismaelis Abulphedæ Regis Syriaci, aliorumque, si propositi operis ratio ferret, illustrari posset.

Nostra in primis patria Germania nullo tempore e-  
jusmodi destituta fuit Artificibus, qui diversas ejus pro-  
vincias & tractus, eâ, qua fieri potuit, diligentia designa-  
runt. Quorum quidem Antesignanum non immerito  
fecerim Sebastianum Mynsterum (Professorem Hebrææ  
linguæ in Academia Basileensi) qui primus fundamenta  
jecit, Germaniam in mappas redigendi; ipse etiam Bris-  
goiam, Nigram Silvam & Walleiam geographicè deli-  
neavit. Post eum Egidius Tschadus Helvetiam; David  
Selzlinus Sueviam; Wolfgangus Lazius Austriam; D.  
Georgius Gadnar Wirtembergiam; Sebastianus de Ro-  
thenhan nobili loco natus Franconiam; Johannes Mel-  
lingerus Thuringiam; M. Bartholomæus Scultetus Mi-  
niam, aliisque omni laude dignissimi alias terras, geome-  
tricâ factâ dimensione, in mappas retulerunt.

Ex dictis & similibus particularibus designationi-  
bus postea Gerhardus Mercator (à Principe quodam  
Juliacensi conductus) tabulas generales Europæ, & alias  
confinibus ritè connexis ordinavit, & cum non minus  
artifici manu, quam ingenio valeret, ipse eas in ære satis  
quidem ornatè exsculpit, quæ hodiè ab Artificibus in  
multiplici forma depictæ in omnibus, in primis literato-  
rum conclavibus affixæ reperiuntur. Nulla enim, quas  
sculptores divendunt, figuræ digniores magisque aptæ  
consentur ad exornanda musæa his ipsis tabulis Geogra-  
phicis, quæ ideo utili huic ornatui destinantur, quod  
non modo, ut aliæ picturæ oculis placeant, sed ante o-  
mnia animo etiam discendi cupido facilis suâ instructione  
satisfaciant; adeò, ut spectator cogitationibus suis quam  
velocissimè universum orbem percurrere, & quod alij  
magno

magno labore, majoribus sumptibus, maximisque periculis experiuntur, ipse hic securâ jucunditate addiscit.

Si verò quis sibi persuadet, nihil non dictorum Vi-  
rorum laboribus actum, totumque opus suam consecu-  
tum esse perfectionem, fallitur is turpissimè. Sexcen-  
tis enim ego exemplis demonstrare possem, quām sint  
adhucdum mancæ, mutilæ & corruptæ vulgares istæ  
mappæ, quas tamen hodiernum Artificum vulgus tan-  
quam ex omni parte perfectas, nullaque prorsus corre-  
ctione indigentes imitari consuevit. Sunt enim Scul-  
ptores non pauci, librorum etiam Scriptores anseribus  
agrestibus non absimiles; quò primus volando præive-  
rit, reliqui sequuntur, quomodo cunque etiam voletur:  
*b.e.* quod Viri eruditæ pariter & laboriosi Munsterus &  
Mercator publicæ luci dederunt, simioli isti imitari fata-  
gunt, adeò, ut errata omnino etiam Typographica per-  
quam fideliter exscribant & diligenter custodian, eo us-  
que opera parcentes, ut nullus vel ex historiarum evo-  
lutione, vel aliorum verbali informatione de nominibus  
& situ locorum certior fieri velit. Quò tamen o-  
peram suam reddant vendibiliorem, eiique speciem ad-  
dant operis novi & emendati, alienos ad marginem ap-  
pingunt ornatus, aut qui plus habere acrimonias sibi vi-  
dentur, vel aliis videri volunt, meridianos nonnihil tut-  
bant, sive alias gradibus transversim ductis numeros ad-  
scribunt, somnio forsitan edocti, posse longitudines non  
modo cum Ptolemæo ab insulis Canariis, verùm ab eo  
etiam punto, ubi acus magnetica linea meridianæ ex-  
actè congruit, vel etiam à Pico monte omnium altissimo,  
termino quasi à natura ipsa constituto numerari; quo-  
rum tamen omnium locorum à patria sua distantias nun-  
quam sunt emensi, vel per eclipses scrutati. Quæ qui-  
dem astutia ejus mihi videtur generis, cuius illa furis Chi-

rothecas furto subtractas, ne pristinus possessor eas suas putaret, fuligine linientis.

Laudatis illis antiquis, qui primi glaciem frege-  
runt, vitio, quod omnia non acu tetigerint, vel minimè  
vertendum. Nulla enim scientia uno tempore inven-  
ta, exculta & perfectionem suam adepta est, ut nec pul-  
lus eo die, quo ovum paritur, excluditur: omni potius  
laude sunt dignissimi, quod soli plus omnibus suis suc-  
cessoribus præsliterint. Pudeat autem ineptos istos Ar-  
tifices, non posse exscribere, quæ ab antiquis bene sunt  
scripta; e. gr. *Biberach pro Bibrach, Gersling pro Geislingen,*  
*Blambemen pro Blabeyren, Catstat pro Cantstat, Haurbrunn*  
*pro Saurbrunn, Giling pro Guglingen, Marpurch pro Marpach,*  
*VValtenbach pro VValtenbuoch, &c.* ponere, & innumera  
alia ita corrumpere, nomina quoque non tantopere cor-  
rupta loco tamen scribere maximè ancipiti, jam supra  
sua circella, jam infra, mox à dextris, mox à sinistris, vel  
etiam obliquè. Celebres Metropoles & urbes aulis in-  
signes, v. c. Monachium, Anspach, Durlach, &c. omit-  
tere, pagos contrà & vicos parum cogitatè infarcire, a-  
liaque multa ineptè prorsus lucri tantùm captandi cau-  
sa committere, &, ut paucis dicam, omnia tam negli-  
genter imitari, eruditos irritare, quærentes irretire, &  
tam sceleratè universam artem conspurcare.

Non dicam jam de terris extra Europam sitis, qua-  
rum mappæ nullis non erroribus sunt refertissimæ. Li-  
tora maris (ex tabulis nautarum hydrographicis mutua-  
ta) tolerari & aliquo modo excusari possunt; reliqua o-  
mnia in terra continentí Asiæ & Africæ locata, mera-  
sunt ut plurimùm commenta; id quod vel inde luce  
meridianâ clariùs patet, quod unam provinciam bis aut  
ter etiam intervallò centum milliariorum factò, ponant,  
ut modò spacia replecantur, & emptori glaucoma inji-  
ciatur.

ciatur. Monstretur, quæso, tabula correc̄ta ditionis Turcicæ aut Persicæ, ut ne de Indicis, Tartaricis, Sinen-sibus &c, utpote longiori à nobis intervallo sejunctis dicam. Ubinam designantur loca maximè famosa, ab Historicis decantata, magnisvē cladibus insignia, vel illa saltem, quæ à Principum Christianorum Legatis reperta, in eorum itinerarios annotantur? Quæ contrà nomi-num monstra & portenta pro veris illis nobis quotidie obtruduntur? O rem omnino miserandam, quâ tamen & Globos superbire videmus! Sed omissis exteris pa-triam nostram Germaniam visamus, vitia in eius mappis irrepta notaturi, quorum quamvis sint tot, quot vario-lorum in corpore infantis ægrotantis, quod tangere sine doloris excitatione, non datur; ea tamen, quæ sunt maxi-mè generalia jam assignabo: *Si à parte sinistra des-en-das, nimis eam latam, si verò à dextris ascendas, nimis ar-ctam, diagonalem autem si metiaris, nimis longum reperies.* Id quod eruditis ita probo: In parte Septentrionali, ut Westphalia, Holsatia, Meckelburgensi Ducatu &c. polus nimium elevatur. v. gr. Rostochium pro quarta unius gradus parte, Hamburgum pro dimidia ferè, scil. ad  $\frac{5}{4}$ . usque exaltatur; id quod in comparatione ad arcem Wandersburg (ubi Nobilis & indefessus Tycho Brahe obser-vavit) nimium est. Apud nos autem in Wirtem-bergia polus nimium deprimitur. Polum enim Tubin-gæ accuratissima adhibens instrumenta 1'6. altiorem de-prehendo, quām ut mappæ monstrant, illo igitur excessu & hoc defectu in unam summam collatis, apparet, partem Germaniæ occidentalem  $\frac{3}{4}$ . gr. plus justo excre-visse, orientalem vero  $\frac{1}{2}$ . gr. decrevisse. Francofurtum enim ad Viadrum pro quarta gradus parte plus justo de-primitur, Grætia contrà Stiria pro cādem quantitate ju-sto altius elevatur, ut utrinque commissorum errorum diffe-

differentia multum ultrà integrum gradum excreverit. Mendæ autem istæ latitudines tantum, quas quotidiè addiscere possumus, concernunt. Quantum in longitudine erratum esse putas? quam non datur singulis diebus reperire, cùm eclipses (quæ unicum ferè sunt refugium) raro contingent, nec coelo semper sereno. Hâc in re experientiam eorum, qui diutius ejusmodi occasionses observârunt, allegandam censeo. Præceptor meus & Collega honoratissimus Dn. Mæstlinus eâ de re multum questus est, & in manuductione ad suas Ephemerides, quando de Catalogo locorum agit, firmis innixus rationibus asserit, differentiam longitudinis inter Antwerpianam & Tubingam non excedere 17'. temporis, h. c.  $4\frac{1}{4}$ . gradus. In mappis tamen etiam novissimis, quæ pro maximè correctis venditantur, indicantur  $5\frac{1}{4}$ . grad. qui error integri gradus est. Ita Dn. Keplerus etiam in tabulis Rudolfi fol. 37. ex eclipsi quadam anni 1560. colligit, differentiam longitudinis inter Lovanium Brabantia, & Viennam 47'. tantum esse, quam tamen mappæ nostræ  $1\frac{1}{2}$ . gr. mentitæ ad  $53'$ . extendunt. Goësam etiam Seelandiæ & Castellum Cattorum non  $25'$ . sed  $18'$ . differre, artifices alij observationibus cœlestibus deprehenderunt. Ex quibus omnibus patet, Germaniam ab occasu versus ortum nimis prolongari; cui, ut mihi quidem videtur, universæ Europæ nimia extensio causam dedit. Ptolomæus enim Promontorij sacri Hispaniæ & Hydrunti Calabriæ differentiam  $40$ . facit, quam quidem Mercator notabiliter, non tamen accurate contraxit. Ut igitur crassissimus in Geometria putatur error, pro quadrato formare trapezium, aut in arte plastica dextrum brachium pedem vè sinistro longiore, caputque latius altitudine suâ fingere: ita nullo prorsus modo se excusabunt, qui veram terrarum proportionem adeò deformant.

Com-

Communis plurimis tabulis error & novus etiam est, Septentrionem non semper, sed sàpè etiam Austrum, alibi Ortum vel Occasum superiori poni loco, quod tamen multum, secus ac Idiotæ isti arbitrantur, refert. Perinde enim est, ac si pictor aliquis in una eademque figura imagines quasdam pedibus, capitibus alias, vel obliquo situ incedentes pingeret. Qualis inde ridiculus evaderet aspectus? Eodem modo res se habet, quod in omnibus fere libris Alsacia in hanc, Lotharingia verò in illam inclinet partem, quæ cum aliis Germaniæ Galliæque tabulis propterea nunquam idoneè conciliari poterunt.

Ad flumina per naturalem impetum deorsum cunctia, respiciendum esse, & mappas idcircò ita locandas esse, ut fontes superiori, alvei verò inferiori, & ita superior & inferior terræ pars suis singulæ locis conspiciantur, persuasum est multis. Tali modo antiquam Witterbergiæ tabulam constructam videmus, ut Nicrus Sulzä Hailbrunnam versus deorsum tendat. Quoniam autem flumina singula singulos & à se invicem planè diversos habent cursus, ut in modò dicta tabula Danubius & Räms transversim sibi oboriantur quasi, Ammera verò & Laucharta sursum vergant, huic fundamento nemo protus inniti potest. Alij ad chartæ formam respiciunt, veluti si regio arcta in longum protendatur, mapam ad latera dirigunt, putantes, magis idoneè parieti posse affigi, si scil. per omnia altitudinem habeat oculo æqualem. Ita Vopelius Rhenum suum adaptavit. Cùm autem possimus Calendaria benè longa deorsum vergentia, sine omni difficultate à summo ad imum usque legere, quid impediet, mappas etiam rectè locatas penitus perlustrare, vel saltē dividere; cùm tamen plus o-

mninò intersit formæ & situs terrarum , quàm privatæ oculorum commoditatis.

Tertia denique pars ad suam omnia patriam accommodat, & versus quam ejus plagam tetræ sunt sitæ, eam sive sit Septentrio , Oriens , Meridies vel Occasus , superiori ponit loco . E. gr. quoniam Palæstina nobis versus ortum jacet, idè Biblia Castellensia superiori loco ponunt Ortum . Sic in Indiae Occidentalis tabula Occidens , in Africæ Meridies summum obtinerent locum ; quod sanè nemo probabit . Hæc autem locatio quoniam planè est inconveniens , multùm etiam particularis, aliis in sua patria non inserviens , plerumque etiam ejusmodi disparitas errores & confusiones in Geographia meras causetur , omnes omnino mappas conciliari & ubivis septentrionem summo poni loco oportet; cùm ille polum denotet punctum non modò in cælo præcipuum , sed universæ etiam Europæ , imò maximæ terræ cognitæ parti conspicuum , ut cum globis mappæ etiam magis concordent.

Urbium porrò & pagorum locationes lustrantes, bone Deus, quàm eâ in parte erratum esse deprehendimus ! Pene dixerim , paucissima suis locis poni , sed ut plurimum in distantiis pariter & declinationibus locorum in primis peccari ; ut catalogorum potius, quàm effigierum nomine tabulæ ejusmodi veniant . Cùm enim verus situs anima sit mapparum , istas cadavera potius quàm vivas regionum imagines putarim . Ex millibus multis exemplis unum vel alterum tantùm nobis proximum & quod quotidiè per fenestras nostras patente prospectu possemus examinare, prolaturi sumus . Fortalitium montanum HohenZollern à meridiano Tubingen si versus Ortum 28. gradus declinare pingitur in tabulis,  
quod

quod tamen in aliam prorsus plagam, 18. gr. à meridie versus occasum declinat, ut error ad gradus integros 46. excurrat, majorque sit angulo semirectō. Rotenburgum itidem directō versus occasum pingitur, à quo tamen versus meridiem 26'. reflectitur. Herrenberga pari modo 23. tantum à septentrione versus occidentem ponitur, cùm fermè sint 58. Uti autem cum plagiis ita cum distantiis quoque actum est satis misere. Horba enim & Reutlinga pari Tubingā abesse pinguntur intervallo; cùm tamen illa urbs tria, hæc verò unicum tantum absit milliare. Castellum etiam HohenZollern, de quo suprà monuimus, proprius Tubingæ admovetur, quām Reutlinga, cùm tamen illud duplo longius absit, quām hæc Imperialis; id quod per milliariorum inæqualitatem nunquam excusatitur.

Occurrunt errores alij infiniti, ut Augiæ stabulam facilius purgari, quām illi exterminari possint. Damnum etiam adeò & incurabile, ut unius correctio alterius sit corruptio. Particularis enim emendatio planè non sufficit. Quamvis ego dictam Horbam non nihil promovero, monasterio tamen Alperspachensi eam nimium admovero, id quod minus quadraret; aliis enim adimimus, quæ aliis largimur. Non secus ac pueruli industia admoventes faciei maculatæ. Sed opus est decisione aliquâ fundamentali & reformatione universali. Scratur quilibet suam patriam sibi optimè notam, & primo statim intuitu reperiet, quām minimè tabulas veræ regionum formæ congruere.

Summam itaque puto turpitudinem, in tanta librorum de Trigonometria scriptorum abundantia, mappas Geographicas non esse correctiores. Deberent hæc ignominiâ dormitantes artifices passim excitari, & qui-

libet suæ patriæ tantum addere splendoris, ut majori eam, quam hucusque factum est, designet diligentia. Quando tali modo suam quisque verreret plateam, ut Germanorum est proverbium, ex tota urbe fordes brevi tempore removerentur i. e. si unus hic in Wirtembergia, alter in Palatinatu, alius in Hassia, & alij alijs in locis laborarent, omnis Germania facilissimo corrigetur negotio. Labor est non unius, nec fieri potest, solum omnia nutiri, multò minus absentem peregrinas terras benè ordinare. Multi & singulorum locorum incolæ aggrediantur simul, ab uno tamen vel patulis admodum, ut universum opus concordet melius, nec ut solitum confinia fiant rimarum & mendarum plena, regantur, oportet.

Ut in ædium exstructione non unus lapides effudit & efformat, ligna cœdit & exasciat, parietum compages jungit, lateres coquit, & testum adornat, conclavia contabulat, fornaces & fenestræ applicat, valvas appendit, &c. ita ferè nimis absolveretur ædificium; Verum sua parant murarij, fabri lignarij, laterarij, scrinarij, fenestrarij, serarij & figuli, ab uno tamen gubernati Architecto singulis quid quoque modo faciendum sit præscribente, ne unus omnia, & reliqui nihil, quod agant, habeant. Ita optandum foret, quosdam artifices locis maximè commodis habitantes in id consentire, ut laborem partirentur, & adunatis ita viribus universum opus unius inspectioni commissum absolverent. Næ, brevi tempore nullo ferè labore corrigi posse sperarem mapas. Hoc enim, ut mihi quidem videtur, unicum est remedium, opus tam amplum & diffusum perficiendi: Cui possent adhiberi omnis generis homines, modò circum & regulam tractare norint; omnium tamen maximè

ximè idonei eſſent eruditī, & Studioſi adoleſcentes impigri pariter & curioſi, qui à ſtudiis feriantes, patriam quando viſunt ſumma cum recreatione id facerent, inque Academiam reverſi unius curæ collēcta ſua committere poſſent. Paſtores etiam & Superattendentes Speciales in ſua quilibet diocesi, quas quoṭannis viſitant, non parum præſtare poſſent. Uti à fide dignis accepi, præclaros in teſris Septentrionalibus Epifcopos parerga ejusmodi traſtare conſueviſſe: Non minus etiam Præfecti in ſuis præfecturis. Hoc autem cùm non omnium ferat conditio, à ſenibus etiam & iis, qui aliis implicantur curiſ, exigi non poſſit; dantur præterea in urbibus opifices artificiosi, ut ſunt Pictores, Automatorum horologiorum confeſtores, aurifabri, Statuarij, ſcriniarij, ferarij, fabri lignarij & ſimiles circinis uti edo-eti, qui ſine dubio non inviti, modò via iſpis monſtrentur, & ab uno gubernentur, ad publicam utilitatem o-peras suas conſerrent.

In horum ego favorem, opus cujuſ intereſt publi- cè, adjuturus hanc delineare methodum ſum ausus: non quidem, ac ſi plus aliis ſapere vellem, (de mea e-nim mihi conſcius ſum tenuitate) ſed quoniam, qui plus me ſciant, levia hæc non curant, de bono non despe-rans eventu, tefferam posui; qui aleæ mecum tentave-rit fortunam, eam non poenitebit: Omnia rerum ini- tia fiant, oportet. Ex re minima, magna ſæpè enata fuſt utilitas. Veluti brumali tempore ſi avicula teſti cacu- mini lapillum injecerit, nix circa eam conglobatur, & magna teſti pars purgatur: Ita faxit Deus, has è mappis Geographicis elui maculas. Mihi quidem propositum jam non eſt, alias Geographiæ mendas fuſe proſequi, vel quaꝝ ab aliis de geometrica dimensione benè ſunt

scripta, repetere: Verum media tantum lectori artis amanti quædam facilia monstrabo, quæ in praxi multum afferre compendij novi, maximamque partem ipse inventi, eò potissimum directa, ut artificiosis instrumentis omnibus (quorum apparatus multos abstergere solet) simplici ac levi viâ, operatione tamen minimè suspectâ, omnia expediri possint

## MODUS PRIMUS

## OMNIUM SIMPLICISSIMUS

## TABULAS CHOROGRAPHICAS EX VIARUM SERIE ET INTERVALLIS DESIGNANDI.

**A**D hoc negotium ante omnia probatos viarum indices colligamus, oportet. Quapropter in suo quilibet loco à peritis viatoribus discat, quantum omnes vicinæ urbes à se distent, per quosque pagos & oppida iter sit brevissimum. Cave autem, ne cuivis tabellario majoris mercedis gratia milliaria multiplicanti fidem habeas, sed fide digniores fac ut audias, & collatis singulorum effatis veritatem providenter erue. Porro etiam cum soleant milliaria pro diversitate regionum diversa ut plurimum fallere, tutius erit, pro iis numerare horas cum semissibus & quadrantibus, easque inter duorum locorum nomina scribere (cum signis etiam  $\pm$  plus &  $\mp$  minus, ubi integræ mensuræ non sufficiunt. Poteris etiam, ut dubij minus relinquatur, plures inter duo loca distantias particulares in unam summam concicere.

jicere. Tertiò cùm viæ non omnes sunt planæ & directæ, sed flumina & montes etiam causentur ambages, opus erit, ejusmodi etiam exprimere circumstantias. Abs re quoque non erit, loca designare non procul à via dissita factâ mentione, quantum à via versus dextram vel sinistram distent. Multum etiam conducit ea loca annotare, ubi via putatur medietas. Hujus enim præsumtio parùm fallere solet. Tandem ubi ad unum locum diversæ ducunt viæ, singulas quidem annotabis, eam tamen, quæ est maximè directa & brevis, observabis.

Melioris informationis gratia exemplis rem illustrabo, tractum circa Tubingam in medium prolaturus. Primum est iter Tubingâ Stutgardiam, cuius hæc est annotatio. Tubinga 2. horæ † Dettenhausen,  $1\frac{1}{2}$ . hor. Stainebrunna, (quæ ultra viæ dimidium non multum sita est) 2. hor.  $\frac{1}{2}$  Möringen,  $1\frac{1}{2}$ . hor. Stutgardia. Summa provenit 6. horarum satis longarum; iter est asperum & montosum. Secundò Tubingâ Calvam. Tubinga (vallis, quam Ammera torrens perluit, ad sinistram partem incurvatur) 1. hor. Jesingen,  $1\frac{1}{2}$ . h. Boltztingen,  $\frac{1}{4}$ . hor. Reisten,  $\frac{1}{2}$ . ho. Altingen, (à via versus sinistram lapidis jaesta distans) 1. ho. Herrenberga urbs ubi dimidia viæ pars finitur)  $1\frac{1}{8}$ . ho. Affstätt,  $2\frac{1}{8}$ . h. Jësingegen,  $\frac{1}{4}$ . ho. Däckinprund,  $1\frac{1}{4}$ . hor. Stammen,  $1\frac{1}{2}$ . hor. Calva. Summa itidem ultra sex horas parùm excrescit. Tertiò Tubingâ Horbam: Tubinga 2. hor. Rotenburg (urbs à Nicro amne bifariam fœsta) 2. hor. Weittingen, 2. ho. Horba. Iterum 6. producuntur horæ. Quartò Tubingâ Hechingam. Tubinga 1. hor. † Dusslingen, 1. ho.  $\frac{1}{2}$  Offterdingen (ubi via pro parte dimidia finitur) 1. hor. Bodelshausen,  $\frac{1}{4}$ . ho. Sickingen,  $\frac{3}{4}$ . Hechingen.

Horæ

Horæ producuntur quatuor. Quintò denique Tubingâ Münsingam. Tubinga 2. hor. + Reutlinga, 3. ho. + Gechingen, 2. hor. :: Münsingen. Summa 7. horas excurrit.

Prout itaque series præcipuas viarum, initio Tubingæ posito, annotavi, (ubi tamen brevitati studens, sciens aliquot omisi pagos) ita opus habebimus aliis seriebus viarum, ab aliis urbibus numeratis veluti Stuttgardiâ, Calvâ, Horbâ, &c. in loca circumiacentia, ab incolis nullo negotio colligendis. Multa quidem diversis linguis conscripta prostant Itineraria, vias per Germaniam & Italiam regias monstrantia; ut sunt: *Georgij Meyers Wegbüchlein* / impressum Augustæ Vindelicorum, in decima sexta, ut loquimur, form. *Cypriani Euchovij Viatorius Index*, Ursellæ & Coloniæ in quarta. Poste per diverse parti del mondo, Placentiæ in trigesima secunda. *La Guide des Chemins*, Lugduni in duodecima forma: Sunt autem maximam partem manca & parâm correcta; Gallicum illud, de quo ultimo loco dixi, omnium est optimum. Reliqua omnia in nominibus & numeris multum à veritate recedunt, ut nulla omnino ipsis fides sit habenda. Correctiora patiter & auctiora optarem.

Procuratis his præparatoriis, & viis descriptis, eorum ducta suâ serie urbes & pagi in charta locantur. Quod fit multorum triangulorum connexione, juxta prop. 22. l. 1. *Euclid.* Datis enim tribus lineis, quarum semper duæ simul sumtæ tertiâ debent esse longiores, triangulum facile construitur. Quapropter linea pro lilibitu in partes aliquot æquales pro horis & earum quadrantibus dividatur; quæ erit scala futuræ tabulæ Chorographicæ. Deinde aperto circino ex scala modò dicta summa-

sumatur distantia duorum locorum & punctis in charta, in qua tabulam designare vis, notatur, iisque tertius locus semper annexatur. E. gr. quoniam constat, quatuor urbes, Horbam, Calvam, Stutgardium & Kircheimium Tecciae, æquâlibus hinc abesse intervallis, Tubingam in centro pono, circinoque ultra partes 6. non-nihil aperto, arcum describo, qui per dictas modò urbes transfibit. Porrò, cum ipse observando sim expertus, Stutgardiam Wirtembergiae Metropolin abhinc non directè versus septentriōnem esse sitam, sed à vero Boreæ punto versus orientem non nihil declinare (id quod iter illuc facienti ex lingula magnetica facile apparet) proinde circellus iste, per quem Stutgardia denotabitur, in arcu locum non obtinebit summum, sed verget ad dextram: pictis deinde aliquot ædificiis, describo nomen. Quia etiam Calva abhinc distat 6. horas completas, Kircheimium autem totidem non adeò perfectas, duas has distantias circino absumptas, in arcu dicto designabis, illam versus sinistram, hanc verò versus dextram. Pari modo Horbam tribus milliaribus Calva inferiorem in eodem arcu locabis. Novum deinde emergit triangulum pro Hechinga distante quatuor horas Tubingâ & quinque Horbâ. Aliud pro Nürtingga, quæ abest Stutgardia 5. horis & Tubingâ non nihil minus. Tali modo cum reliquis proceditur urbibus, duabus inventis tertiam quæ sitam juxta suam distantiam annexendo: Veluti Reutlingam Tubingæ & Nürtingga: Avven Nürtingga & Kircheimio: Mynsingam Reutlingæ & Avvæ, &c. & sic porrò triangulis ritè combinatis. Quantum verò attinet intermedia loca non in angulos, sed triangulorum lineas incidentia, ea sequenti ratione, servata proportione inseruntur; Veluti pagi

Offterdingen & Stainebrunn viarum versus Hechingam & Stutgardiam sunt dichotomiæ. Schafhusa pars est tertia itineris Calvâ Stutgardiam. Viæ autem quando non sunt omnino directæ, attendendum est, in quam inclinent partem. Uti Herrenberga iter Tubingâ Calvam in duas secat partes æquales, inclinat tamen versus sinistram non nihil. Teckinprunda reliquæ viæ metitur dimidium, versus dextram tamen reclinat. Quæ viarum flexuræ omnibus facilè apparent. Sic Rotenburga & Weittinga iter Tubingâ Horbam in tres circiter dividunt partes, (quarum tamen media reliquis est major) sed ad sinistram utraq[ue] flectuntur, secundum Nicri ripam. Possunt non ineptè etiam mediante viarum interfectione, intervalla licet ignorentur, loca inferi. E. gr. quoniam per pagum Schlaitdorff, sive Reutlingâ Stutgardiam, sive Tubingâ Nürtingam tendamus, dicimur, fieri non potest, cum alibi, quâm ubi viæ se mutuò secant, situm esse. Multa alia compendia usus & exercitatio docebunt. Cavendum autem est, ne loca connexuri triangula formemus, nimis vel acuta, vel obtusa, quæ certitudini operationis non parùm obsunt, sed talia, quæ ab æquilateris non multum recedunt. Probatur etiam triangulorum certitudo, quando eorum cuspides in uno loco coéuntes spacijs nihil relinquunt; id quod in figura videre est, ubi circa Nürtingam quinque descripta sunt triangula, quæ tamen singula sex locorum intervallis pervestigata totum accuratissimè adimpleverunt spacium. Quod si autem cuspides non ritè coéntes in distantiarum exquisitione erratum esse produnt, singulæ, servatâ proportione, sunt vel dilatandæ vel contrahendæ, usque dum tota circumferentia claudatur. Examinatur tandem ad finem perducta tabula duabus

bus insuper modis; per circinum primum, ut videatur, num locorum circelli decenter etiam ab aliis absint locis: Veluti cum Böblingam medium inter Stutgardiam & Herrenbergam obtinere fecerim, an absit etiam Tübingā 4. horas. Deinde per regulam quoque ut videatur, num alia etiam viæ intermediæ transversim ducendæ ad eam congruant: v. gr. num Nürtinga incidat in lineam Kircheimio Herrenbergam versus ductam; quoniam iter eò est dirigendum. Qui probandi modus omnium est optimus. Ea tamen omnia, quæ haetenus tractavimus, ob viarum inflexiones nunquam ab omni errore & incertitudine prorsus excusari poterunt, possunt autem ea, quæ per ocularem expediantur inspectionem, de quibus jam jam sumus dicturi.

---

MODUS SECUNDUS  
ACCURATIO R  
EX ANGULIS ET DECLINA  
TIONIBUS à PLAGIS  
MUNDI.

Doneo hic opus est instrumento, quocum montes editiores & turres ascendere, angulos locorum circumiacentium observare, & ex eorum numeris annotatis tabulas tandem formare possumus: quod aliis est orbis in 360. gr. divisus, regula etiam pinnaciis armatus, qualis in *figura prima* pingitur. Qui tamen mihi non videtur satis aptus, ubi operationem desideres accuratam. Parvus enim partes minutæ non exprimit;

C 2 magnus

magnus autem iter facientibus multum afferit impedimenti. Metalla multum habent ponderis, ligna autem plus inconstantiae. Quapropter tres ego normas vel perticas ligneas adorno ad formam trianguli æquilateri, eas ex tabulis tangentium divido, angulisque pinulas immobiles, lateri autem unam affigo ductilem, quibuscum observanti omnia mihi exacte monstrantur scrupula. Normæ enim sunt bene longæ, complicabiles tamen, ut itineri parùm obsint, minus etiam mutabiles, quoniam lignorum longitudo non tam facile, quam latitudo variatur. Ejusmodi instrumento usus sum, cum observarem loca in *exemplo altero* depicta. Processus particulam, ne exempla desint, recensebo. Propè Reutlingenam in monte multum edito ruderâ sunt antiquæ arcis, cui nomen Achel, huc ego, assumtis aliquot amicis (ut essent opem pariter & testimonium laturi) ascendi, e. rectoque meo instrumento, initium feci à sinistris, ad que facellum in monte Wurmlingensi sìrum collimavi, inde versus dextram ad turrim Tubingensem, quam vocamus S. Georgij, angulum inveni  $\hat{7}. 45'$ . Inde versus Walthusam (Comitum quondam Tubingensium Cancellariam, nunc villam)  $1^{\circ}. 18'$ . Walthusâ versus Kirchentälinsfurt  $\hat{8}. 10'$ . hinc Oferdingam  $37. 54'$ . Oferdingâ versus Mezingam  $55. 13'$ . Mezingâ versus arcem montanam munitissimam HohenNeiffen  $24. 49'$ . hinc ad Eningam  $67. 7'$ . tandem ad montem iterum Wurmlingensem, ubi inceperam, collimans argulum inveni  $14^{\circ}. 46'$ . Et quanquam in ultimo illo inter Eningam & montem Wurmlingensem spacio præterasperas nihil conspicere alpes, placuit tamen & hunc metiri angulum, ut adimpleto circulo Experimentum esset magis certū. Cum itaque

itaque omnes hi anguli in unam reducti summam circumferentiam integrari 360. graduum debuissent æquare, eam duobus scrupulis superarunt; qui tamen excessus insensibilis horizonti forsan montoso adscribendus. Idem in aliis locis, ut Kirchenthalinsfurt, Walthusæ, Wurmlingensi monte, Roseck, Herrenbergæ, Weitenbergæ, & Rotenburgæ antiquæ feci; ex qua deinde angularum dimensione pagos & urbes circumiacentes tam accuratè in charta locavi, ut ex tabula etiam filii, si quod ab una turri ad alteram protraheretur, longitudinem in pedibus Wirtembergicis eruere possis.

Hanc autem subtilitatem, cùm possit nonnullis videri multùm laboriosa, suo jam relinquam loco, iis tantùm, qui in Geometria parùm sunt versati, consulturus: Quos ego jubeo conficere orbem ex materia quavis durabili, ad minimum eo, quo ad mensam utimur non minorem, vel chartarum saltem foliis conglutinatis: Et quoniam dichotomia facilis admodùm est, abs que circino etiam, ubi opus fuerit, per chartæ complicationem perficienda; circumferentiam primùm bifariam seca, dimidium iterum in duas divide partes, usque dum sedecim producas æquales, quibus deinde adscribe Consonantes B. C. D. &c. spaciaque intermedia Vocalibus a. e. i. o. u. reple. Hæc enim literarum annotatio facilius intelligitur, minusque fallit, quām reciprocata ventorum nomina, veluti, *Ost*, *Nort*, *ost*, &c. Et habebis in universum partes 96. quæ sufficiunt: qui tamen accuratiorem optat divisionem, inter duas ille vocales interposito puncto producet partes duplo plures. Affigatur etiam regula inque ea duæ pinnulæ æneæ vel osseæ (non tamen ferreæ) ad latus regulae parallelæ normaliter erigantur. Compassus etiam sive lingula

magnetica virtus Boream directa inferatur. Quæ omnia in *figura secunda* oculis exponuntur. Tali modo adornatum erit instrumentum ad construendas mappas Chorographicas aptissimum. Cujus quod attinet usum; montes ascende maximè editos & turres, è quibus longè latèque patet prospectus, quassumque probationis gratia instrumentum (cave autem, ne ferrum nimis propinquum magneticam seducat acum) immotum tene, perque pinnulas accuratissimè in medias collima turres omnium locorum, quas modo visu allequi potes, nomina eorum annota, literam etiam per regulam sive indicem in instrumento monstratam exscribe: & si fuerit **Consonans**, ei appone . . . tria puncta, quòd si vocalis illa sit, assumenda est consonans proximè *precedens*, ut inde enascatur syllaba, alias enim certi nihil constaret, quoniam sedecies singulæ vocales repetuntur. Significanter dico *precedens* (quæ sc. syllabæ erit initialis) non autem sequens, ne quis fallatur. E. gr. Index si promotus esset ad vocalem *e*. inter consonantes *D.* & *F.* ut in figura pingitur, scribendum est *De.* non autem *eF.* Ubi autem ad aliam turris partem prospectatum te converteris, ante omnia lingula magnetica iterum rectè locanda est. Poteris etiam splendente sole ex centro erigere Stylum ad angulum utrinque rectum, ejusque annotare umbram, inde si anni & diei feceris mentionem, linea meridiana per suppurationem invenietur, & compassus probabitur. Ad montes etiam insignes locaque in primis dissipata & visum propter subterfugientia regulam dirige dioptricam; ea enim plus afferunt adjumenti, quām quæ sunt proxima: conspicua autem sunt magis manè & vesperi, quām circa meridi ci tempus. Ex vigilibus etiam, qui sunt in turribus, quare, an & versus quam pl-

plagam incendia forsan viderint ; haec enim (miseranda aliâs) infortunia indicant loca profunda, ad quæ obser-vanda vix datur occasio. Recordor jam, cùm ante annos circiter tredecim oppidum in *Sylva Nigra Oppenau* conflagraret, me Nürtingæ bidui itinere inde die proximâ sequenti continuâ fumum in forma columnæ assur-gentem versus Africam observasse. Id quod indicium mihi fuit, Oberkircham quoque & Argentoratum ab hac non multum abesse linea. Possent etiam Pyrobo-liæ artifices igne missili ex vallibus profundis ad hanc rem signa afferre.

Procedendi autem modus exemplis potius quam verbis exprimi potest. Orbem ego meum Herrenber-gæ primam erexi, juxtaque lineam meridianam locavi, & per pinnulas collimans inveni sequentes angulos : Roseck Hu. Wurmlingen Ki. Alt Rotenburg Li. Tail-singen Ma. Bondorf Mu. Postea ad secundam me con-tuli stationem in arcem Roseck adque loca modò dicta dioptricam dirigens regulam, sequentes ea monstravit literas : Wurmlingen M.. (quæ est linea meridiana) Alt Rotenburg Na. Bondorf Qo. Tailsgen Ro. & tandem Herrenberga Su. (oportet enim syllabas primæ & secundæ stationis diametraliter sibi opponi.) Ex his modò observatis formanda est mappa tali modo : Ex charta alium efforma orbem minorem, divisum tamen in totidem etiam partes, in quot major ille, quo ad ob-servandum usus es, punctum in ea charta, in qua tabula designanda, quod putas aptissimum elige, illud nobis designabit Herrcnbergam, primæ stationis locum. Or-biculum tuum chartæ impone ita, ut ejus centrum pun-cto modo facto exactè congruat : id quod aciculæ infi-zione fieri potest commodissimè, circa quam orbem cir-cum-

cumvolve, ut septentrionis punctum B. superiorem obtineat locum, & ne aliorum tornetur, cera fac ut firmes: acu postea ad omnes syllabarum prædictarum Hu, Ki, Li, Ma, Mu, vocales in charta puncta facies, adscribes etiam nomina singulis punctis sua, v. gr. Roseck, Wurmlingen, &c. Remotoque orbiculo, ex centro, quod Herrenbergæ punctum est, ad omnia reliqua puncta lineas duces longitudine indefinitâ: Et laboris diuidium exantatum erit. In linea Hu, quæ ad secundæ stationis locum tendit, aliud iterum elige punctum, quod designabit arcem Roseck, idque à primo illo Herrenbergæ puncto distans pro lubitu (prout tabulam desideras magnam aut parvam) orbiculum pari modo applica, ut B. Boreæ punctum sursum vergat, notulas quoque secundæ observationis acu punge, scil. M. . Na, Qo, Ro, lineasque suis etiam insignitas nominibus, ex centro per puncta jam dicta in longum porrige: Punctum deinde illud, ubi duæ lineæ ejusdem nominis se intersecant, v. gr. linea Bondorf ex puncto Herrenbergæ ducta, & altera Bondorf ex Roseck. Tailfingen & Tailfingen &c. illud verum monstrabit situm Bondorfij & Tailfingæ, ita cum reliquis etiam procedes locis, usque dum tabulam absolvias. Urbes autem & pagos cum designaveris, facilè quoque erit, eorum ducta flumina, sylvas & montes inserere. Tandem assume spaciun inter duo loca comprehensum, de quorum itineraria distantia certò constat, idque in sua divide milliaria vel horas, & erit ad præsentem tabulam scala, per quam aliorum quoque locorum distantias metiri potes.

Nota; si in itinere instrumento tibi destituto, vel alio modo prævento compassum adhibere non licet, absque omni prorsus instrumento rem aggredieris ita:

Char-

Chartam in asſerculo quodam firma, eiisque immotæ locato regulam, cui duæ aciculæ, pinnularum loco, ſunt infixæ, impone; collima deinde ad turres & alia loca, ita, ut lineæ visionis ſive collimationis ex uno ducantur centro. Tandem assume perpendiculum, illudque ſplendente ſole ita tene, ut umbra ejus per punctum, in quo reliquæ lineæ coēunt, tranſeat, eamque duæ etiam lineâ, aſsigna, factâ mentione horæ & diei; & poterunt inde declinationes omnium locorum, ad quæ tu collimasti, inveniri. Vel ſi ruri charta etiam deſtituaris, ex arbusto proximo petitos baculos rectos terræ juxta lineam viſivam infige, unum etiam ibi, ubi corporis tui umbra finitur, omnesque lineas pedibus tuis metire; & facile erit Geometræ carum angulos reperire.

## III.

DE ELEVATIONE  
POLI.

**E**A loca, quæ tanto diſjuncta ſunt intervallo, quod viſus omnino excludit contingentiam, & continua- tas etiam triangulorum catenas reddit ſuſpectas, mediante Poli elevatione commodiūs inferuntur; in cujus autem investigatione, quām à multis erratum ſit, ſuprà monuimus. Ad Astronomorum quidem catalo- gos confugiendum foret, verū cum eorum compila- tores obſervationes non ubi viſ locorum ipſi inſtituere potuerint, ſed indices, illos ab aliis paſſim colligere ad- acti fuerint, palumbem tandem pro columba captarunt.

D

Et

Et si quis esset horum catalogorum certitudini confidens, mappas constructurus, horrendum ille crearet monstrum. Adeò enim discordes sunt, ut difficile sit, cuinam fides habenda dignoscere. Exempli loco adducam Heidelbergam, cui ultra integros 49. gradus Tycho largitur 20. scrupula prima; Christmannus 22'. Origanus 24'. Elenchus Prutenicus 30'. Apianus 35'. ut differentia ad quantam unius gradus partem ex crescatur. Qui hinc benè conjicet, hunc vatem! De Jacobo Christmanno non sine ratione quis præsumeret, ipsum rem acutigisse, quod ibidem habitans ipse solem observaverit, justæque molis librum ea de re scripsit. Ex collatione tamen Tubingæ & Buzbachij, quod in irinerarij intervalli medio situm, ajunt eum in defectu, sine dubio, quod refractio[n]es neglexerit errasse, deprehendo.

Sic Basileæ præter 47°. à Pitisco 30°. à Metio 38°. à Specklino 40°. in novis Galliæ tabulis 45°. in Rudolphinis 54°. adscribantur, & sic differentia ad  $\frac{2}{3}$ . grad. usque excurrit. Miror sanè de tam celebri Academia, ubi ejusmodi studia omni tempore floruerunt, certi nihil constare; quid tamen de aliis minus consideratis oppidis fiat? Unicum adhuc addo. Dantischi latitudo Braheo putatur 54°. Origano præter has 20°. tabulis Prutenicis (non facta juris, quod inter conterraneos servari solet, estimatione) 50°. Apiano tandem 54°. ut discrepantium opiniones ad integrum ferè gradum à se invicem recedant; quod penè dixerim non est rem acutum sude tangere.

Summoperè itaque necessarium puto, omnes omnium locorum artifices ad hos & similes nèvos defendendos instigari. Quam etiam ob causam ego, de mea mihi

mihi conscientia tenuitatem, eos, qui plus hâc in parte valent, provocaturus, meum qualecunque cā de re consilium publicare, mediaque ita prompta monstrare volui, ut nemo, quod vel de labore, vel sumtu queratur, habeat; in primis etiam sint, quæ à peregrinantibus quo-cunque tandem gentium deferantur, apud feras etiam barbarasque nationes in praxin deduci possint. Universum autem negotium in eo consistit, ut vel sole luceante circa meridiem, triangulum convenientis exquias magnitudinis, cuius unum latus semper erit perpendicularum, alterum radius solaris, & tertium quo-cunque subtensa quantitatē p̄dicti anguli, quem faciunt perpendicularum & radius solis, indicans; vel noctu etiam diuarum stellarum amplitudines occasiones aut Azimutha invenias: quæ, ut modò dicemus, variis expediti possunt viis.

Primum igitur in testo quodam aliquod à pavimento convenienti distans altitudine, ut in figura ter-tia videre est, aperi foramen, idque tenui affixa lamella centrum lenti perium habente iterum clade. E lamina foramine, quod tamen obturari non debet, perpendicularum ad pavimentum ferè pertingens demitte, quod ubi hinc inde titubare desierit, paulisper recede, aliumque jube, ut regulam justæ longitudinis in imo ponat ita, ut & regulæ jacentis latus & perpendiculari filum ad lineam ex oculo tuo directam congruant; postea immotâ manente regulâ cultro lineam juxta illam fastam in basi relinque: quo facto ad alterum te confer latus, ut repetitâ regulæ collocatione duas in pavimento producas lineas se intersectantes in C. quod intersectionis punctum exactè respondeat illi, quod est in lamellâ A, (vel parùm omnino recedet ab eo; foraminis enim se-

midiameter sensibilem non inducit errorem ) Post hæc si sereno cœlo compassus vel quodvis aliud sciameritum horam duodecimam, utpote verum meridiei punctum exactè monstraverit, eo ipso temporis momento lucidum illum circellum, quem radius solis per lamellæ foramen incidens facit, rubricâ statim, antequam locum suum mutet, designa. Hujus autem circelli, qui ob radiorum obliquam incidentiam in ovalem degenerare solet, centrum, eâ, qua decet, quære attentione, & insigne aliquo punto nota. Tandem assume perticam summâ cum diligentia in partes suas divisam, (illud nihil refert, quales in ea sint pedes vel pollices, modò partes inter se sint æquales & pollices extremi ad minimum in decem, vel plures etiam particulas distincti) quâ cum inquire longitudines trium illarum linearum AB. BC. & CA. (adhibitâ quâdam complicatili, & quam quoad libet, extendere possis normâ, vel duabus aliis manu interim ad hoc, ut cohærent, tenendis) tam attentè, ut ne tantillum quidem vel deficiat, vel supersit: singularum linearum quantitates diligenter annota, facta etiam anni, mensis & diei, quo hæc observaveris, mentione; & habebis quæsitum triangulum, ex quo quivis Matheseos peritus, mediante Canone sinuum solis altitudinem meridianam, & tandem (post correctam refractionem) cùm ex die eclipticæ gradus & solis declinatione pateat, Æquatoris & Poli elevationem in gradibus & minutis satis congruè coniugere poterit. Majoris etiam certitudinis gratia in media in primis ætate, hæc observationes repetere licet; semper tamen (cùm declinatio solis indies varietur) annotatis anno & die observationis. Magnitudini autem in his ante omnia operam dabis; quò majus enim erit triangulum, eò accuriores erunt & mensura & calculus.

Vel

Vel aggredere rem eō modo, quem *figura quarta* monstrat. In conclavi quodam editiori, fenestram quandam versus meridiem patentem elige, duasque in illa chordas ad formam crucis extende; uti in figura quarta propè literam D. videre est: Perticam deinde sive tigillum rectum inter superius & inferius tabulatum suffulci, E. F. ita, ut non modo cum perpendiculo congruat, sed umbra etiam chordæ deorsum subtensæ in eam meridiei semper hora duodecima incidat infallibiliter. Alio deinde die (specialiter annotando) umbram E. chordæ transversim extensæ diligenter designa; aliudque in perticæ suffulta parte superiori assume punctum pro lumen, illud sit nobis F. deinde tres illas lineas DE, EF, FD. accuratissimè metire; & habebis iterum triangulum, ex quo Poli elevatio invenienda. Nota: Chordam si adhibueris crassiorem, crassitudinis ejus dimidium in mensurando non est negligendum, umbræ quoque medium diligenter observandum.

Qui autem mavult sub Dio rem expedire, per scrinarium ille sibi curet adaptari triangulum ex lignis tribus rectis & minus mutabilibus. Forma ejus certa non requiritur; unum tamen habebit angulum à recto non multum differentem, & latus illud angulo recto oppositum ad minimum decem pedes longum. Pingitur tale triangulum in *figura quinta*. Ad angulum G. erecta affigatur lamella lata, habens foramen, ubi ligno jungitur, quod pisi diametrum nondum exæquet; ex eo demittatur perpendiculum I. Totum autem instrumentum in palo quodam vel columnâ firmetur ita, ut meridiem exactè respiciat (id quod fieri potest mediante umbrâ, quando compassus indubitatus horam duodecimam monstraverit. Quando igitur in meridiani temporis

puncto poli altitudinem scrutari volueris, assume cubum aliquem, qualis est ille in figura quinta litera H. notatus, in eo ex uno centro aliquot describe circulos, per unum diametrum deorsum vergentem sectos, hisce circulis ad solem conversis, cubum in latere instrumenti, quod angulo G. opponitur, ita locabis, ut radij per laminæ foramen penetrantes, in unum ex his circulis incident; puncto deinde, quod diameter circulorum, qui sunt in cubo, in instrumento monstrabit, diligenter notato, metieris tres illas lineas G H. H I. I G. diem autem annotare ne omittas, absque hoc enim operam perdideris.

Unum adhuc addo, quoniam templorum parietes ad mundi plagas ut plurimum congruunt, & altaria orientem respiciunt, posset quis latus occidentale huic rei destinare, eique ejusmodi laminam cum perpendiculari affigere, & absque omni prorsus instrumento triangulum formare prægrande huic negotio inprimis aptum.

Hactenus de die dictum est; possunt autem, qui stellarum habent notitiam, nocte idem præstare. In loco quodam editiori, ubi prospectus multum patet versus occidentem in primis, apponatur mensa monstrante figurâ sextâ, eique versus occasum infigatur acus M. quando stella L. occidit, aliam infige N. secundum lineam visivam, & ubi stella K. mergetur, tertiam O. mensuratis que tribus lineis, M N. N O. O M. invenietur angulus N M O, æqualis exteriori K M L. arcumque horizontis inter parallelos stellarum designans, unde ejus obliquitas invenienda.

Commodius erit, tres palos P. Q. R. secundum radium visivum erigere, iisque acus infigere, ut habeatur triangulum majus, quam ut in mensa fieri potest, & acura-

curatius. Et quamvis cuique liberum sit, quas voluerit, stellas observare, aptissimæ tamen sunt ex; quæ tropicis sunt vicinæ, vel longius etiam ab Æquatore distantes, ut Arcturus & Cor Scorpionis. Refractio quoq; nihil omnino obest, quoniam metimus angulum non in altum, sed transversim ductum; in quo multum est compendij, quod pauci admodum hactenus animadvertebant.

Restat adhuc *figuram octavam & nonam explicare, & monstrare modum inauditum, facillimum tamen, longitudines locorum investigandi, à navigantibus magnō aestimandum pretio; sed adimpleto jam folio, in aliam id differo occasionem, omnes, quibus hunc meum tractatum legere contigerit, rogitans, velle se, quæ suis locis observarunt, vel publici juris facere, vel mihi saltem per literas communicare. Si quis à computationis labore abhorret, ille mihi cum relinquat. Cujusque diligentiam in opere futuro gratâ mente laudabo: Veritatis enim publicè contestandæ interest, & mei quoque excusandi, si ab aliis forsan eretur, nomina exprimere eorum, qui me intruxerunt.*

*SOLI DEO GLORIA.*



Gy1996-k A 5270 w

